

Q. HORATII  
FLACCI  
CARMINA

EXPURGATA,

ET ACCURATIS NOTIS

ILLVSTRATA,

AUCTORE

JOSEPHO JUVANCY

SOCIETATIS IESV

SACERDOTE.

*Mellin*



anno

1729

SVPERIORVM PERMISSV  
HISPALI, Ex Typographia DIDACI LOPEZ DE  
HARO viâ Genuensî.

PA6393

.A2

1729

c.1

132743



Ora ingenio splendide et  
lenter scripsit Horatius  
Est coctanus virgilio  
In Odis sublimi, In Satyris subtili,  
In Epistolis prudens.

PA6393

1729

1729

132743

BIBLIOTECA PUBLICA  
NO LEON

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVA LEÓN  
CAROLINA ALFONSENA PARRIS  
SABERES Y SABIDURIA  
1828

1080045031



## Q. HORATII FLACCI VITA.



NATUS est Horatius anno ab Urbe condita 689. Venusæ in Apulia, patre libertino, at locuplete; à quo Romam ductus, & inter Senatorum, Equitumque pueros liberaliter est educatus.

Annos natus admodum 19. Athenas petiit. Ibi Philosophiæ operam dabat, cum Brutus, Cæsare percusso, fugiens in Macedoniam, illum Athenis abstraxit, & militum Tribunum in suo exercitu esse iussit. Commisso ad Philippos prælio, in quo cæsus est Brutus, fugam arripuit Horatius; ac Romam, facto ad Palinurum Italiæ promontorium naufragio, vix appulit. Mox, inopiâ cogente, versus fœditare cœpit; quos legerunt Virgilius, & Varius; poëtarum in Urbe tum Principes, ac Meccenati, viro nobili, summâ apud Augustum gratiâ, & eruditorum patrono, laudavere. Is Horatium vocat, probat, ac paucis

Aa

pôst



post mensibus in suorum numero esse iubet: simulque ipsi veniam ab Octavio Cæsare, qui postea Augustus dictus est, impetrat, quod Bruti, & Cassii partes secutus esset. Fuit ipsi quoque Augusto charissimus, & acceptissimus. Obiit anno ætatis 57. V. C. 746. eodem quo Meccenas; juxta quem in Esquilis conditus est. Quod ingenium, qui mores, quæ religio viri fuerit, è scriptis patet. Corpore obesum, brevem, lippum, præcanum, ipse se fuisse commemorat.



### TESTIMONIA VETERVM DE HORATIO.

Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 10.

*Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,*

*Dum ferit Ausoniâ carmina culta lyrâ.*

Persius Sat. 1.

*Omne vaser vitium ridenti Flaccus amico*

*Tangit, & admissus circum præcordia ludis;*

*Callidus excusso populum suspendere naso.*

Quintilianus lib. 10. c. 1.

*Lyricorum Horatius ferè solus legi dignus.*

*Nam & insurgit aliquando, & plenus est iucunditatis,*

*& gratia, & variis figuris, & verbis felicissime audax.*

IN-

49456

## INDEX ODARVM CHRONOLOGICVS.

*Ostendens quo quaque anno scripta fuerit.*

**I**D ostendi satis commodè non potest, quin exponatur breviter ea pars Romanæ historiæ, in quam Horatii vita incidit. Nihil fermè scripsit, ante annum ætatis 21. qui fuit Urbis conditæ 710. Octavii Cæsaris 19. Ab eo igitur anno ducimus initium.

*An. V. C. 710. Horatii 21.*

Anno ab V. C. 710. Cæsar interfectus est in Senatu à conjuratis. Eodem anno, Tyberis exundans partem Urbis evertit; icæta fulminibus crebris templa; & aliâ id genus prodigia contingere, quæ describit Horatius Od. 2. libri primi. *Jam satis, &c.*

*An. V. C. 714. Horat. 25.*

Reversus Romam Octavius cum ab Antonio dissideret, pax inter utrumque componitur Brundusii per communes amicos, eò Româ profectos. Eorum unus Meccenas fuit; quem Horatius est comitatus, ut narrat Satyrâ 5. lib. 1. Sat. Per idem tempus Pacorus, Orodis Parthorum Regis filius, magnas clades Romanis intulit in Syria. De illo meminit Od. 6. lib. 3.

*An. V. C. 716. Horatii 27.*

Bellum in Sicilia gestum est magno apparatu, inter Sex Pompeium, & Octavium. Ad hoc non leve momentum attulit Menas, sive Menodorus, Pompeii libertus dirissimus, & audacissimus, qui cum parte classis defecit ad Cæsarem: idem tamen, sequenti anno, rediit ad Pompeium; ac paucis

A3

po. 8



post mensibus, iterum Cæsari se adjunxit. In eum est Ode 4. libri Epodon. *Lupis, & agnis, &c.* circa hoc tempus scripta. Quo eodem tempore scriptam apparet Oden 7. ejusdem libri. *Quoquò scelesti ruitis, &c.* in qua bellum civile detestatur.

*An. V. C. 718. Horatii 29.*

Victus ab Octavio, consiliis & fortitudine Agrippæ, in freto Siculo Sex. Pompeius, ad Antonium fugit, a quo post paulo interfectus est. Marcus Antonius à Parthis variè est victus, cum implicatus amore Cleopatæ, gravioribus belli curis non sat esset idoneus. Parthorum Rex Phraates erat, cujus mentionem facit Od. 2. lib. 2. Ad hoc tempus pertinet Ode 5. lib. 2. *O sape mecum, &c.* Item 5. libri 1. qua laudat Agrippam. *Scriberis Vario, &c.*

*An. U. C. 722. Horatii 33.*

Antonius, Octaviâ repudiatâ, Cæsaris sorore, bellum indicit Cæsari; qui confestim in Epirum cum expeditâ classe advolat. Refertur ad hunc annum possunt Ode 1. libri Epodon. *Ibis Liburnis, &c.* & 11. *Altera jam, &c.*

*An. V. C. 723. Horat. 34.*

Commisso navali prælio ad Actium in sinu Ambracio, fugientem cum suis navibus Cleopatram secutus Antonius victoriam Cæsari facilem concessit. Præterea legiones Antonii, quæ stabant in littore, ac terrestrem ejus exercitum conficiebant, septimo post die, in Cæsaris castra transierunt. Actiacam victoriam celebrat Vates, Ode penultimâ libri 1. *Nunc est bibendum, &c.* & 8. libri Epodon. *Quando reposum, &c.*

*An. V. C. 726. Horat. 37.*

Octavius, extinctis anno 724. Antonio, & Cleopatrà, redacto in ordinem Lepido, clauso Jano, triplici triumpho, & aliis honoribus affectus, templum hoc anno Apollini, cujus præsidio tot res præclare gestas in primis tribuebat, in Palatio

latio dedicavit; addiditque insignem in vicina portuæ bibliothecam. De hoc templo meminit Horatius, Ode 25. libri primi. *Quid dedicatum, &c.*

*An. V. C. 727. Horat. 38.*

Octavius Cæsar, cum nomen Augusti à Senatu delatum accepisset, venit in Gallias cum exercitu, transturus inde in Britanniam, ut eam armis perdomaret: sed Britanni, missis ad eum legatis in Galliam, pacem oraverunt. Ad hunc annum pertinet Ode 28. l. 1. *O Diva gratum, &c.*

*An. V. C. 728. Horat. 39.*

Augustus in Hispaniam venit, ubi Cantabri, & Aures rebellabant. Victi hostes, hoc & sequenti anno, terrâ, marique: sed Augustus ex nimio labore morbum contraxit, an. 729. Romamque subinde repetens, bellum C. Antistio, & Carisio absolvendum reliquit. His annis scriptæ sunt Ode 4. libri 2. *Septimi Gades, &c.* & 8. ejusdem libri. *Quid bellicosus Cantaber, &c.* Item 10. libri 3. *Herculis ritu, &c.* Nec non 7. ejusdem libri. *Martiis calebs, &c.*

*An. V. C. 730. Horat. 41.*

Ælius Lælius, ab Augusto missus in Arabiam, exercitum eò duxit: sed illum, re malè gestâ, morbis imminutum, cum ignominia reportavit. Circa hoc tempus fuit scripta Ode 23. libri 1. *Icci beatis, &c.*

*An. V. C. 731. Horat. 42.*

Tiridates, ante annos septem, Rex creatus à Parthis (pulsus ab illis in exilium Phraate, ipsorum legitimo Rege, ob ejus sævitiam) Romam venit, supplicat ab Augusto petiturus contra eundem Phraatem, qui restitutus in regnum à Scythis fuerat. Augustus Tiridatem Romæ retinuit, & apud se esse jussit: Phraatis filium adolescentem, quem ab anno 724. obsidem Romæ habebat, remisit patri, ea lege, ut sig-



na militaria, Crasso, & Antonio crepta, Romanis restitue-  
ret: quod ille tamen non præstitit, nisi triennio post. De  
Parthis, & eorum domesticis seditionibus, Horatius sæpe me-  
minit, ut Ode 20. libri 1. *Musis amicus, &c.* 2. lib. 2. *Nullus  
argento, &c.* & alijs passim. Eodem anno, Augustus sibi sub-  
stituit L. Sestium Consulem; ad quem scribitur Ode 4. libri  
1. *Salvitur ævis hyems, &c.*

Anno V. C. 732. Horat. 43.

Fannius Cæpio, & Licinius Muræna, cum in Augustum  
conspirassent, detecti, & è fuga retracti, supplicio affecti sunt.  
Muræna frater erat Proculeius; de quo agit lib. 2. Od. 2.  
Ad eundem Licinium scriptam esse Oden ejusdem libri 7.  
*Rectius vires, Licini, &c.* quidam volunt. Vide notas in  
hanc Oden.

Anno V. C. 733. Horat. 44.

Consul creatus est, cum Q. Æmilio Lepido, M. Bollius;  
quem Horatius laudat Ode 3. libri 4. *Ne fortè credas, &c.*

Anno V. C. 734. Horat. 45.

Cum Augustus, anno superiori 733. in Asiam cum exer-  
citu se contulisset, quasi provincias compositurus, & iustra-  
urus, re vera Parthis bellum illaturus; Phraates pacem ro-  
gavit, & Romana signa cum captivis ultrò restituit. Jani  
templum Romæ clausum est, quasi partâ orbi terrarum pa-  
ce. Clausum fuerat jam semel, post Actiacum certamen: sub-  
inde tamen resecratum est, rursusque clausum, anno 744.  
Hanc victoriam incruentam, quam solâ nominis sui famâ  
retulerat Augustus, celebrat Vates, Ode 5. libro 3. *Cælo ro-  
nantem, &c.* Cadit etiam in hunc, aut superiores annum,  
ejusdem libri Ode 2. *Augustam, &c.* Eodem anno, Tiberius  
ab Augusto missus est in Armeniam, ut Regem Tigranem ei  
præficeret, in locum Artabazi ejus fratris, qui Armeniis in-  
visus erat. De hac in Armeniam expeditione, agit Horatius,  
Ode 6. libri 2. *Non semper imbres, &c.* quam proinde circa  
hoc tempus esse scriptam oportuit.

Anno

Anno V. C. 735. Horat. 46.

Romam ex Asia rediens Augustus, Samum, insulam Ægi-  
maris, petiit; ubi cum convenere Legati Indorum, fœdus-  
que cum eo sanxere; de iis meminit Horatius in Carmine  
Sæculari. Athenas cum venisset Augustus, reperit ibi Virgi-  
lium, eò profectum, ut Æneidem suam in hac Musarum  
scholâ perpoliret; quem secum reduxit in Italiam. Sed  
cum Brundisium Virgilius appulisset, ibi est mortuus, anno  
ætatis 51. Eunti Athenas Virgilio bene precatur amicus Va-  
tes, Ode 3. libri 1. *Sic te Diva potens Cypri, &c.*

Anno V. C. 736. Horat. 47.

Agrippa missus in Galliam ab Augusto, compositis ejus  
provinciæ negotiis, in Hispaniam deportavit exercitû, con-  
tra Cantabros, qui à Romanis desciverant: bello feliciter  
confecto triumphû tamen detrectavit; quia non suis, sed Au-  
gusti auspiciis, pugnaverat. De Cantabris tandem domitis  
mentio est in Ode 7. lib. 3. *Martius caelebs, &c.* quæ usque in  
hunc annum differri potest. Laudat Agrippam Ode 5. lib. 1.  
& alijs passim.

Anno V. C. 737. Horat. 48.

Ludi Sæculares Romæ, Augusti jussu, celebrati sunt in sig-  
ni pompâ. Extat edita tunc temporis Ode Horatiana, quæ  
Sæulare Carmen inscribitur. *Phæbe sylvarumque, &c.* Dig-  
num opus Augusto jubente, & scribente Horatio. Non mul-  
tò antè scriptæ sunt etiam Ode 17. libri 1. *Dianam tenera,  
&c.* & 5. libri 4. *Dive, quem proles, &c.*

Anno V. C. 738. Horat. 49.

Augustus expeditionem in Sicambros, Vsipteras, aliosque  
Germaniæ populos, suscepit, qui, Rheno transmissis, Gal-  
liam depopulabantur, & Lollium ducem Romanum profi-  
gaverant: sed illi, ejus adventu territi, ab eodem pacem  
impetravere. Mansit Augustus in Gallia, ut eam compone-  
ret; neque Romam, nisi anno post quarto, rediit.

Anno



Anno V. C. 739. Horat. 50.

Rhœti, & Vindelici, ad Alpium radices positi, cùm ete-  
bris incurſionibus Italiam vexarent, à Druso, & Tiberio, per  
Augustum huc missis, magnâ clade non semel affecti sunt.  
Eoidem Rhœtos, & Vindelicos, ac vicinos aliquot Germa-  
niæ populos, Drusus debellavit, anno 742. Laudes utriusque  
prosequitur Horatius, Ode 3. lib. 4. *Qualem ministrum, &c.*  
sed Drusi præcipuè, in hac Ode 4. Tiberii verò in Ode 2.  
eiusdem libri. *Qua cura patrum, &c.*

Anno V. C. 741. Horat. 52.


Augustus Romam è Galliis rediit. Eum, diutiùs pro suo-  
rum votis morantem, urget Vates, Ode 4. libri 4. *Diris or-  
re bonis, &c.* Eiusdem reditum, ac victoriam, ludis, & variâ  
læritiæ publicæ significatione, celebravit Julius Antonius  
Prætor, Marci Antonii Triumviri filius; hortatusque Hora-  
tium erat, ut in idem argumentum versus scriberet: cui res-  
pondet Horatius Ode 1. libri 4. *Pindarum quisquis, &c.*  
Circa idem tempus editam quoque fuisse apparet Oden ul-  
timam lib. 4. *Phæbus volentem, &c.* quæ laudes Augusti com-  
plectitur.

Anno V. C. 746. Horat. 57.

Mortui Romæ sunt Mæcenas, & Horatius, & in Esquiliiis  
sepulti.

Aliæ Odæ, quarum nulla nominatim facta mentio est in  
hoc Indice, aut quo scriptæ sint anno incertum est; aut ex ali-  
qua earum vocula fieri conjectura facillè potest, ad quem  
annum sint referendæ.

DE



## DE METRIS

HORATIANIS,

SEV

## VARIIS CARMINUM GENERIBVS,

Quibus constant Oda Horatii.

**P**rimum genus est earum, in quibus sunt omnes  
versus Choriambici Asclepiadei Tetrametri:  
qualis est Od. 1. lib. 1. *Mæcenas atavis, &c.*  
Vocantur Choriambici; quia in illis præci-  
puum locum obtinet pes Choriambus, qui  
componitur ex Choræo, sive Trochæo, &  
Jambo, id est, ex longa, & brevi, brevi, & longa. Ascle-  
piadei vocantur ab auctore: inventus enim fertur iste ver-  
sus ab quodam Asclepiade. Tetrametri denique; quia pe-  
des 4. habent; quorum 1. est Spondæus, 2. & 3. Choriambus  
4. Pyrrichius, costans è 2. brevibus. Porrò longas syl-  
labas duobus punctis supernè positis notavimus; breves  
nullo.

*Mæca | nās atavis | ēdite Rē | gibus |*

Potest etiam aliquis eundem versum metiri aliter, si nem-  
pe interponatur cæsura in medio.

*Mæca | nās ata | vis | ēdite | Rēgibus |*

Porrò cùm Ode uniusmodi versibus ita constat, vocatur  
Monocolos: quæ vox Græca significat esse partes omnes  
unius formæ, ac speciei. Quando duplicis generis sunt ver-  
sus in Ode, vocatur illa Dicolos: quando triplicis, Trico-  
los: quadruplicis, Terracolos, &c.

Rur:



Rursum, quando versus iidem, & ejusdem generis recur-  
runt; si alternis id fiat, id est, si post alterum quemque ver-  
sum, vocatur Ode Distrophos (quæ vox Græca id signifi-  
cat) si post tertium quemque versum, Tristrophos; si post  
quartum, Tetrastrophos: quia ille ordo versuum, qui idem-  
tidem revertitur, Græcis est, *Strophe*.

Denique si pes nullus, nulla syllaba desit, aut abundet,  
versus vocatur Acatalectus: si desit una syllaba, vocatur Cata-  
lectus: si pes totus desit, Brachycatalectus: si abundet unus  
pes, Hypercatalectus, vel Hypermeter.

II. Genus Odarum, est earum, in quibus primi quique  
tres versus sunt Hendecasyllabi (hoc est, undecim syllaba-  
rum) Sapphici (à Sappho inventi) Acatalecti, sive quibus  
nihil decit; Pentametri, sive quinque pedibus constantes;  
quorum 1. est Trochæus, 2. Spondæus, 3. Dactylus, 4. &  
5. Trochæi. Quartus autem quisque versus est Adonius (ab  
Adone inventus) Dimeter, hoc est, 2. constans pedibus, nempe  
Dactylo, & Spondæo. Talis est Od. 2. lib. 1.

*Jam sa | vis rē | vis nois | atque | dira |*

Similes sunt duo sequentes: quartus;

*Terruit | urbem. |*

Tota Ode est Dicolos Tetrastrophos.

III. Genus. Ode Dicolos Distrophos; in qua primus  
quisque versus est Choriambicus Glyconius (ab Glycone in-  
ventore) Acatalectus, Trimeter, id est, pedes ternos habens;  
quorum primus est Spondæus, 2. Choriambus, 3. Pyri-  
chius. Secundus verò quisque versus est Asclepiadeus; de quo  
dictum est in primo genere Odarum. Talis est Ode 3. lib. 1.

*Sic te | Diva po | tens Cypri |*

*Sic frā | trēs Hele | na | lucida | sidera |*

IV. Ode Dicolos Distrophos, in qua primus quisque ver-  
sus est Dactylicus, Archilochius, Heptameter. Dactylicus di-  
citur, quia in eo maxime regnat pes Dactylus: Archilochius,  
quia inventus, & usurpatus ab Archiloco, poeta Græco  
Lyrico: Heptameter, quia 7. constat pedibus; quorum 4.

primi

primi sunt Dactyli, mixtis tamen ad arbitrium, ut in versu  
Heroico sit; Spondæis; tres postreimi semper sunt Trochæi.  
Secundus verò quisque versus Jambicus, Hexameter, Cata-  
lectus, constans sex pedibus, dempta unâ syllabâ. Primus  
est Spondæus, vel Jambus, 2. Jambus, 3. Spondæus, 4. 5. &  
6. Jambi. Talis est Od. 4. lib. 1.

*Solvitur | acris hi | ems grā | tā vice | veris | et Fa | vōni |*  
*Trahunt | que sic | cas mā | china | cari | nās |*

Secundus versus aliter dividi potest, nempe interpositâ in  
medio versu cæsura; & sic tres pedes ultimi erunt Trochæi.

*Trahunt | que sic | cas | māchi | na ca | rinas. |*

V. Ode Tricolos Tetrastrophos; in qua primi quique duo  
versus sunt Asclepiadei; qualis est in primo genere explica-  
tus. Tertius autem quisque, Pherecratius, ab auctore Phere-  
crate sic dictus; Heroicus quia videtur esse pars versus He-  
roici seu Hexametri; Trimeter, quia tres pedes habet,  
Spondæum, Dactylum, Spondæum. Quartus quisque est Gly-  
conius; de quo dictum in 3. genere. Talis est Ode 12. lib. 1.

*ō nā | vis rese | rent | in mare | te novi |*

*Fluctūs | ō quid a | gis | fortiter | occupā |*

*Pōrtum | nōnne vi | des ut |*

*Nūdum | remigi | ō latūs |*

VI. Ode Dicolos Tetrastrophos. Primi quique tres versus  
sunt Asclepiadei; quartus Glyconius. Talis est Ode 5. lib. 1.

*Scriberis Vario, &c.*

VII Ode Dicolos Distrophos. Primus versus est Hexameter  
Heroicus; secundus est Dactylicus Alcmæus Tetrameter.  
Dicitur Dactylicus, quia frequentiores in eo sunt Dactyli;  
Alcmæus, quia inventus ab Alcmæo, Græco poetâ: Tetra-  
meter, quia 4. habet pedes, nempe similes 4. ultimis versus  
Heroici Hexametri. Talis est Ode 6. libri 1.

*Lauda | bunt ali | clā | ram Rhodon | aut Miti | lenem |*

*Aut Ephe | sum bima | risue Co | rinthi |*

VIII. Ode Dicolos Distrophos. Primus quisque versus est  
Aristophanius, Dimeter, constans è duobus pedibus, nempe  
Ghe-



Choriambo, & Bacchio. Pes autem Bacchius ita dicitur, quia in hymnis Bacchi sepe adhibebatur: constat ex una brevi, & 2. longis. Talis est versus Ode 7. libri 1.

*Lidia dic | per omnes |*

Aristophanius appellatur ab auctore illius Aristophane, poetâ Comico, apud Græcos celeberrimo. Secundus quisque versus est Alcaicus (ab Alceo inventus) Tetrameter, quia 4. pedes habet. 1. est Epitritus, 2. & 3. Choriambus, 4. Bacchius.

*Tē Deūs ō | rō sībarim | cūr properēs | amandō |*

Porrò pes Epitritus, ita vocatur, quia supra 3. syllabas, unam habet. Quadruplex est; 1. ex Jambo & Spondeo compositus, ut *vo lup tāsēs*; 2. ex Trocheo, & Spondeo, ut *cōn cīrā tās*; 3. è Spondeo, & Jambo, ut *cōm mīo nī cāns*; 4. è Spondeo, & Trocheo, ut *ēx pē tīa re*. Potest hujus Odæ primus versus aliter secari, nempe.

*Lidia | dic per | omnes |*

IX. Ode Alcaica Tricolos Tetrastrophos. Dicitur Alcaica, quia inventa fuit ab Alceo, Lyrico poeta clarissimo. Primi quique duo versus sunt Jambici Senarii Brachycatalecti; qui appellari quoque possunt Dactylici Pentametri Catalecti. Constant illi ex Jambo, vel Spondeo, deinde Jambo, postea Spondeo, tum Anapesto, deinde Jambo. Si aliter metiaris, ac esse Dactylicos velis, constabunt ex Jambo, vel Spondeo, tum Jambo, cæsura, & duobus Dactylis. Talis est Od. 8. lib. 1.

*Vidēs | ut al | tā stēr | nive cām | didīm |*

*Vidēs | ut al | tā | stēr nive | candidum |*

Tertius quisque versus est Jambicus dimeter, sive 4. pedibus constans: (nam in versibus Jambicis, una mensura 2. pedes complectitur) hypercatalectus, sive abundans unâ syllabâ, post 4. pedes.

*Silva | labō | rāntēs | gelū | que |*

Quartus quisque versus est Dactylicus Alcaicus, constans pedibus quatuor, duobus Dactylis, & duobus Trochæis.

*Flūmina | cōnsīto | rīns | cūto |*

X

X. Ode Monocolos; in qua sunt omnes versus Choriambici Alcaici Pentametri; qui constant è Spondeo, tribus Choriambis, & Pyrrichio. Talis est Ode 10. lib. 1.

*Tū nē | quāseris | scire nefas | quēm mihi quēm | tibi |*  
Pōsis etiam metiri versus istum aliter, & caesuris interpositis.

*Tū nē | quāse | ris | scire ne | fas | quēm mihi | quēm tibi |*

XI. Ode Dicolos, Distrophos; in qua primus quisque versus est Jambicus Dimeter Catalectus; constat enim 4. pedibus; sed unâ syllabâ deest, nempe prima. Talis est Od. 15. lib. 2.

*Nōn | ebūr | neq; aū | reum |*

Si velis pendulam, & abundantem syllabam in finem versus rejicerē; facies ex Jambico Trochaicum, & sic metiere.

*Nōn e | būr ne | quē aūre | ūm |*

Secundus versus est Jambicus Trimeter Catalectus, constans 6. pedibus, demptâ unâ syllabâ.

*Meā | renē | det in | domō | lacū | nār |*

XII. Ode Dicolos Distrophos; in qua primus quisque versus est Heroicus Hexameter; secundus quisque est Dactylicus Dimeter Hypercatalectus, constans 2. Dactylis, & syllabâ. Talis est Ode 6. libri 4.

*Diffū | gēre nī | rēs rede | ūnt jān | grāmīna | cāmpis |*  
*arbori | būsque co | ma |*

XIII. Ode Dicolos Distrophos; in qua primus versus est Jambicus Trimeter, sive sex pedibus constans; secundus Jambicus dimeter, duabus constans mensuris, sive pedibus 4. Ejus generis est Ode 1. Epodon.

*ibis | Libūr | nīs in | ter al | tā nā | viūm |*

*amī | ce prō | pūgnā | cula |*

Aliud quoddam genus est huic simile; in quo, pro verso primo Jambico, ponitur Heroicus Hexameter.

*Mōllis in | ōrtia | cūr tān | tam dis | fūderit | imis |*

*ōbli | viō | nēm sēn | sībūs |*

XIV. Ode Dicolos Distrophos; in qua primus quisque ver-

ver-



versus Heroicus Hexameter; secundus, verò Archilochius Hexameter Hypercatalectus, constans 4. Jambis, 2. Dactylis, & unâ syllabâ. Talis est Od. 10. Epod.

*Horrida | tēmpes | tās | cœ | lum | cōn | traxit | & | imbrēs |*

*Nivēs | que | dē | dūcūt | jovēm | nūc | mare | nūc | silu | a*

Quidam hanc Oden faciunt Tricolon Tristrophon; & secundum versum in duos secant: quorum primus est Jambicus Dimeter.

*Nivēs | que | dē | dūcūt | jovēm |*

Alter est Dactylicus Archilochius, de quo dictum in duodecimo genere.

*Nūc | mare | nūc | silu | a*

Huic affine est generi aliud, in quo Dactylicus Archilochius præponitur Jambico Dimetro: & in primo loco, præ Heroico Hexametro, ponitur Jambicus Trimeter.

*Pētrā | nihil | mē | sō | ut | an | teā | juvāt |*

*Scribere | versicu | lōs |*

*Amō | re | pēr | cūlsum | gravi |*

In quo genere, quidam duos illos versus in unum cōstant, hoc modo.

*Scribere | versicu | lōs | amō | re | pēr | cūlsum | gravi |*

XV. Ode Dicolos Distrophos: cujus primus quisque versus est Heroicus: secundus vero Jambicus. Talis est Od. 11. lib. Epod.


*altera | dant | teri | tior | lēl | lōs | cī | vilibus | atas |*

*ebū | suis | & | p | sa | Rō | ma | vī | ribus | ruit |*

Ultimum genus est carum, in quibus sunt omnes versus Jambici Trimetri. Talis est Od. 17. lib. Epod. *Jam jam effici, &c.*

*Alia duobus versibus in unum cōstant, hoc modo.*

*Q. HO*



# Q. HORATII FLACCI ODARUM

LIBER PRIMVS.

ODE I.

Aliis rebus alios delectari: se pōssim, ac maxime *lyricam, adamare.*

*versus in Archilochi: & pōdū const.*

**M**æcenas atavis edite Regibus, *vel 3. pōdū.*  
*O & præsidium, & dulce decus meum!*

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum

Ode. Vox hæc est Græca: significat cantilenam quamdam, qualis plerumque ad lyram cani solebat. Vnde Lyrica pōesis appellatur.

*Atavis, &c.* Qui ortum ducebat a Regibus, qui Reges Etruscorum numeras in tuis majoribus. Est autem hic ordo prosæ: pater, avus, proavus, atavus, abavus, &c. Mæcenate porrò prognatum è Regib. fuisse, docet etiam Propertius l. 3. *Mæcenas Eques Etrusco de sanguine Regum.* Neque apparet quare vox Regis hoc in loco propriè accipienda non sit.

Sunt quos, &c. Reperias quos-

dam, quos delectat, excitare pulverem Olympicum curru, hoc est, qui aliâ re nullâ magis oblectatur, quam certaminibus Olympicis, in quibus per campum pulverulentum curru agitantur. Est autè Olympia Græciæ civitas, quam Pisam quoq; vocatam fuisse, aliqui tradunt. In vicinis huic urbi capis, prope Alpheum fluvium, certamina cuiuslibet incredibili totius Græciæ concursu celebrabatur, quinto quoq; anno incunte, seu post annos quatuor exactos.

*Curriculo.* Curriculum accipe, vel pro exiguo curru, & veloci, vel pro ipso spatio;